



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 6. Reprehensionem patienter ferendarum remedia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)



eidem interfuit. Apollonius: Puto monachum istum in tam graui tentatione meruisse. Casarius: Quod fornax auro, quod lima ferro, quod flagellum grano, quod uua torcular, hoc ei eadem fuit tentatio. Seruauit enim in tribulatione patientiam. Inuido autem sua erat inuidia, quod venenum stomacho, quod tineæ vestimento, quod ærugo flori, quod tabes corpori.

## §. VI.

*Reprehensionum patienter ferendarum remedia.*

Præstat igitur reprehendi, quàm proietum esse ad reprehensiones; quia qui reprehenditur, si nihil habet quod emendet, habet tamen quod mereatur apud caelestem remuneratorem. Qui autem libenter obuia quæque carpit, similis est lamijs, quas fabulæ narrant, foris oculatas esse, domi oculis in vase reconditis nihil videre: ita enim isti, qui se putant in alienis perspicaces esse, ad sua cæcutiunt; neque vident, hoc ipsum esse turpissimum, omnia velle carpere. Sed tales Carpos & Momos, & Theones esse oportet in mundo, qui bonos exerceant; malos, dum mordent, sanent. Ob hos igitur, qui de natura, vel de ipso naturæ authore queritur, dissimulatis tot bonis,



nis, perinde facit, ac si quis Nilum calumniatur alioqui frugiferum Ægypto, quod crocodilum habeat, aut aspidem; nec velit frui prognatis frugibus, sed tantum queratur de venenis, quæ nutrit. Quin ut ipsa venena medicina sunt, si rectè vsurpentur; ita vituperatores digitorum intendunt ad vlcera nostra, & lingua monstrant, quid in nobis sit vitiosum. Quod si vitiosum sit nihil (in quo autem est nihil?) saltem nos expoliunt, semperque minus nocent, quam lingua blandiens. Quamquam etiam multi sunt, qui quia nos amant, verbis castigant, qui utiq; sunt adulatoribus anteferendi, iuxta illud: *Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Denique quicumque siue rei, siue non rei linguas sentitis viperinas, *recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem: ut ne fatigemini, animis vestris deficientes.* Inter alias causas, ob quas apud Religiosos quotidie legatur Martyrologium, non est solùm, ut occurrentibus quotidie Sanctorum solennitatibus, congruum eis honorem impendamus, eorum auxilia imploremus, eorum facta vitamque imitemur; sed

Plal. 140.  
5.

Hebr. 12.  
3.



fed etiam, vt ex Dionyfio Carthufiano docet Molanus: *In Capitulis Religioforum, an-  
tequam culpa recognofcantur, feu proclamen-  
tur, fit lectio in Martyrologio, quatenus fratres  
Martyrum Sanctorum exemplo ad patientiam  
animentur, etiamfi abfq; fua culpa redarguan-  
tur, aut proclamentur.* Facit ergo reprehen-  
fio etiam de ea re, quæ culpabilis non eft, vt  
Martyribus innocenter paffis fimiles red-  
damur; fi Martyrum exemplo eam patien-  
ter perferamus.

## §. VII.

*Reprehentiones prudentes, ac mansuetas effe  
oportere.*

Ob hanc cauffam *vir prudens & disciplina-  
tus non murmurabit correptus.* At quemad-  
modum difficillimè fanantur, qui fui fenfu  
carent in morbo, velut lethargici ac phrene-  
tici; ita tardiffimè reuocantur ad bonam  
mentem, qui non agnofcunt fua vitia. Hinc  
*peruerfi difficile corriguntur.* Magna igitur  
ars eft tractare tales, atq; eis fua vitia offen-  
dere, poftea curare. *Quo pacto reformaretur,  
& rursus aliquid fieret id, quod vehementer  
medelam reiceret, tamquam inobediens, &  
quod minime propter longi temporis superbiam  
corrigi poffet?* ait S. Gregorius Nazianzenus.

*Nempe*

Molanus  
l. de Mar-  
tyrolog.  
cap. 14.

Eccli. 10.  
28.

Eccli. 15.